



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. VIII. Crvx ferenda quotidie, abijcienda numquam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT VIII.

*Cruce ferenda quotidie, abiicienda
numquam.*

Disciplinam Domini, fili mi, ne abii-
cias, nec deficias cum ab eo corri-
peris. *Proverb. 3, 11.*

*Abiicit eterne studium, spem iusq; salutis,
Quae uolet impositam deseruisse CRUCEM.*



T vidit Staurophila, non li-
cere de CRVCIS pondere
quidquam imminuere, hume-
ros rursus oneri subiecit, quam-
uis non admodum libenter;
rogabat proinde Dominum: Quam diu,
quæso, hanc tolerabo CRUCEM, & quan-
tum adhuc absum à fine. Longa sanè hæc
VIA est, & plurimum adhuc requirit tem-
poris, ut emetiri valeam. Cui Christus: *Cu-*
stodi te à murmuratione, quæ nihil prodest.
O quam longè adhuc es à vestigiis Marty-
rum, de quibus canit Ecclesia:

Caduntur gladiis more bidentium:

Non murmur resonat, non querimonia;

M

Sed

*Breniar.
Rom. in
Hymn. de
plurib.
Martt.*

Sed corde impauido mens benè conscia

Conseruat patientiam.

Tu autem quereris & indignaris, nunc ob CRVCIS longitudinem, nunc ob ponderis grauitatem; modò temporis incusas diuturnitatem, & ne illud quidem cogitas quæ, & in quem indignèrè. Quæ? Homo, umbra, puluis. In quem? Horrendum dictu, in Deum, in Patrem, & Patrem infinite bonum, infinite sapientem. Si autem CRUX non permiffa solùm à Deo, sed immiffa: tu, quæ fremis, quæ repugnas, quid aliud quàm sceptrum illi (quod in te est) eripis & arbitrium regnandi? Deus, ô filia, bonitas ipsa est: edocere velis infinitam bonitatem, quò se pacto erga te gerat? Aurificis est scire quàm diu auro sit in igne sudandum, nec aurum priùs ex hoc balneo educitur, quàm satis esse purgatum constet.

Act. 1, 7.

Ita sanè non tuum est nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate.
A CRUCE liberaberis, cùm visum fuerit illi qui imposuit. Quid quereris de temporis diuturnitate? Infirmetas tua, facit diu videri quod citò est, quod tibi longum videtur, citò est Deo; subiunge te Deo, & citò tibi erit.

August. in
Psal. 36.

Vt cumque hæc se habeant, inquit Staurophila, attritæ sunt omnino vires meæ,

& præ fatigatione vlteriùs pergere nequeo. Nimiùm prolixus hic labor, & qui eum sequitur dolor. Et Christus: Mitte inanes has voces, rectiùs enim dicerès, Non volo, quàm, Non valeo hanc CRUCEM ferre:

Omnia enim potes in eo qui te confortat: Phil. 4, 13.

posses utique, si velles; sufficit enim tibi gratia mea. Nec est durum, nec graue quod ille 2. Corinth. 12, 9.

imperat qui adiuvat, ut fiat quod imperat. August. Sermon. 4.

Proprium est ægri, nihil diu pati, & mutationibus ut remediis uti. Age, Staurophila, constanter age, nec assiduitate à suscepto semel

CRUCIS iugo deterreare. *Si exiguus, est dolor, feras, leuis est patientia; si grauis, tolera, non leuis est gloria; si diuturnus, perseuera,* Seneca in Excerpt.

perennis erit retributio: assiduitate ipsa dolor mitigabitur. Quod quotidie fit, leuius fertur, & ipsa consuetudine in naturam transit; Chrysostr.

ut ut ærumnis ipsis superiores fiant, continuo patiendi exercitio veluti obducto callo obarmati. In mari, qui primum nauem conscendunt, ob nauigandi insolentiam, perturbantur, tumultuantur, & vertigine corripiuntur: at qui multa maria peragrarunt, & multas tempestates, & saxa, & scopulos, & belluarum impetus, & piratarum insidias pertulerunt, & continuas procellas sustinuerunt, fidentiori deinceps animo, quàm, qui ambulant in terrâ, in navi sedent; non in-

tus dumtaxat ad carinam, sed etiam in ipsis
 nauis lateribus insidentes, & tum in prorā,
 tum in puppi sine metu stantes: & qui prius
 vel ad ipsius maris aspectum cum tremore
 iacebant, post periculum factum, iam & fu-
 nem trahunt, & vela pandunt, & remos ca-
 pessusunt, & in omnes nauis partes facile con-
 cursant. Idem ne dubites, filia, & tibi ac-
 cidet: ferendi difficultatem quotidianus
 emolliet vsus.

At metuo, aiebat Staurophila, ne hic vsus
 ita me atterat, nihil vt mihi restet virium.
 Etenim quem via hæc habitura sit finem,
 & quando, ne à longè quidem prospicio;
 quare ad illum vicque cum hac CRUCE
 pertingere non valebo. Velis ergo, inque-
 bat Christus, arreptum iter deserere? CRU-
 CEM derelinquere? ne, quæso, id feceris;
 toleratus enim hæcenus labor prorsus fiet
 inanis. Hæc Christianorum vera demum est

Ioan. 19, 30 gloria, cum capite suo dicere: *Opus consum-
 maui, quod dedisti mihi, vt faciam.*

Pergebat verò Staurophila conquæti, &
 Prolixâ nimis, aiebat, patientiâ opus est,
 tot vt hebdomadibus, atque etiam mensi-
 bus & annis in CRUCE persistam. Nulla
 August. Serm. 7. de verb. Apo- stoli. CRUX, respondebat Christus, diuturna
 videbitur, si ei dederis latitudinem, longi-
 tudinem, altitudinem, & profunditatem.

Latitudo

Latitudo charitas est; quae sola benè operatur, efficitque ne pereat, quidquid boni facis.

Quae est longitudo? Qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Haec est longitudo

Math. 10, 22.

CRVCIS, ubi totum corpus porrigitur, ubi quodammodo statur, quo stando perseveratur: Si vis habere CRVCIS longitudinem, habeto perseverandi magnanimitatem. Quid est habere altitudinem, nisi cogitare Deum, & gratis amare ipsum Deum adiutorem? Crede mihi Staurophila, cum ego paulò ante mortem grande illud CRVCIS onus ad Caluariae montem deportarem, vehemens desiderium gratissimam Dei Patris exequendi voluntatem adeò in me excreuerat, ut vel ad extremum usque iudicij diem pro salute hominum sic incedere nihil recusassem, si sic fuisset visum Patri, & ad illius cessisset honorem.

Thaul. in
Exercit.
Dom. Pass.

*Parum mouebatur his Staurophila, sed laboris pertæsa CRUCEM abiecit, & fugam apparabat. Christus verò eam retentans, aiebat: *Vae his qui sustinentiam perdiderunt.**

Eccli. 2, 16

Quid est hoc, Staurophila? ut quid studes fugere CRUCEM, quam vltro & magno animo non ita pridem subiuiisti? Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia frustra velociter currit, qui, priusquam ad metas venerit, deficit. Ad quod illa ciu-

Greg. lib. i.
Moral.

M 3

lans,

lans, Domine, inquiebat, si cognouissem, tanto tempore, & quidem sine vllâ intermissione ferendam CRUCEM, numquam illam suscepissem.

Leo Serm.
19. de Pass.

An non disertè præmonui, subdebat Christus, tollat CRUCEM suam QVOTIDIE, & sequatur me: natis enim de Spiritu sancto quantumcumque superest mundani temporis, non sine CRVCIS susceptione ducendum est. Nam sicut totius corporis est pie

* Idem
Serm. 9. de
Quadra-
ges.

Thomas
à Kemp.
lib. 1. de
Imitat.
Christi
cap. 12.

vinere, ita totius est temporis CRUCEM ferre, quæ merito ferri unicuique suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur. Sed vide, quæso, quid agas: nam si abiicis vnâ CRUCEM, aliam proculdubio inuenies, & forsitan grauiorem. Credis tu euadere, quò nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo sine CRUCE & tribulatione fuit? Nec ego vel vnâ horâ sine dolore passionis fui, quamdiu vixi. Et quomodo tu aliam viam quæris, quam hanc REGIAM VIAM, quæ est VIA SANCTÆ CRVCIS. CRUX semper parata est, & vbique te expectat. Non potes effugere, quocumque cucurreris: quia quocumque iueris, teipsam tecum portas, & semper teipsam inuenies. Conuerte te supra, conuerte te infra: conuerte te extra, conuerte te intra, & in his omnibus inuenies CRUCEM: & necesse est te vbique

*ubique tenere patientiam, si perpetuam velis
promereri coronam.*

Erubefcebat ad hæc Staurophila, nec poterat quidquã respondere. **I** **E** **S** **V** **S** verò misericorditer sæuiens, coëgit eam abiectam resumere **CRUCEM**. Et age, inquit, mea Staurophila, **CRUCEM** hanc rursus tolle, & cœptam perge viam. *Feras, non culpes, quod mutari non potest.* Publ. Mimus.

Illa verò illacrymans, Domine, inquebat, *imperfectũ meum viderunt oculi tui, & quid nunc agam, ignoro.* Cui Christus: Priorum oblita in anteriora te extendens, ad destinatũ *persequere. Tene, inquam, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Pone te vt fidelis ancilla Christi ad portandam viriliter CRUCEM Domini tui, pro te ex amore Crucifixi. Prepara te ad toleranda multa aduersa & varia incommoda in hac miserã vitã: quia sic tecum erit, ubicumque fueris.* Ps. 138, 16. Phil. 3, 13. Apoc. 3, 11. Thomas à Kemp. lib. 2. de Imitat. Christi cap. 12.

Sed nescio, inquebat illa, quomodo hoc faciã viribus adeò fracta, vix vt queam subsistere. Cogita, inquebat Christus, *quòd siue velis, siue nolis, CRUCEM & calamitatem patieris. Quòd si gratè, maxima lucraberis; si verò agrè & impatienter feras, neque illam ita minorem facies, sed maiorem. Cogitans ergo quòd necessitatis est, hoc tue voluntatis esse facias. Præcipuum enim in rebus humanis est,* Chrysoft. Hom. 44. ad pop. Antioch.

M 4 posse

Senec. l. 3.
Natur.
quæst. in
exord.

*posse leto animo aduersa tolerare: quidquid ac-
ciderit sic ferre, quasi tibi volueris accidere.
Deuiffes enim ferre, si sciffes omnia ex decreto
Dei fieri; flere, quæri, ingemere, desciscere est.
Grauet CRVX, longa lit VIA, difficultates
occurrant plurimæ, tolerandum est; Deus
enim voluit. Ita Dauid: *Opprobrium, inquit,
insipienti dedisti me. Obmutui, & non aperui os
meum. & quare? quoniam tu fecisti.* Hæc sci-
licet sufficiens erat causa, cur non murmura-
ret aut obloqueretur Deo, quoniam ipse fe-
cisset. Hoc idem animo tuo reuolue, Scru-
rophila.*

Blef. Epist.
31.

Necessitas sanè hæc, aiebat illa, ingentem
tristitiam animo meo obiicit. Cui Christus
Cælum suspice, æterna præmia meditare.
*Quod enim impatientia supplicium reputat, hu-
militer patienti ad solatium cedit. Cum enim
patientia fructum consideratius pensat, lenigatur
onus, & dulcescit afflictio: dum in ipsorum pres-
surâ grauaminum futuras consolationis primi-
tias iam prægustat. Cyrenæus ille Simon merce-
de conductus, CRVCEM tulit post me; ita cum
CRVCEM naturaliter horreat lasciuiens caro,
obiiciendum est oculis præmium laboris, ut saltem
amore eius CRVCEM amplectatur. Iam vero
expende, si quotidie oporteret tormenta per-
ferre, si gehennam ipsam paruo tempore tolera-
re, ut me videre digna esses venientem in glo-*

August.
Serm. 2. in
Fest. Omn.
Sanct.

re, ut me videre digna esses venientem in glo-

riâ, & Sanctorum meorum numero sociari; nonne dignum erat pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæq; gloriæ particeps habereris. Tolera igitur quod non vis, ut assequaris quod vis. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Idem in
Psal. 79.
Apoç. 2, 10

Redibat hîc Staurophilæ animi vigor, & resumptis viribus dicebat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* propter verba labiorum tuorum custodire vias duras. Eia Domine IESV, sicut dixisti, & promisisti, sic utiq; fiat, & mihi promereri contingat. Suscepi, suscepi de manu tuâ CRUCEM, portabo, & portabo eâ usq; ad mortem, sicut imposuisti mihi. Inceptum est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet. Ita age, Staurophila, aiebat Christus, persevera mecum in CRUCE, nec antequam, consummatum est, pronuntiaueris, CRUCEM deferas. Si rex Israel est, clamabant Iudæi; si filius Dei est, descendat nunc de CRUCE, & credimus ei. Mihi autem difficile non erat descendere de patibulo, qui potui resurgere de sepulchro: sed quia patientiam docebam, ideò potentiam differebam. Tu quoque, ô filia, exemplo meo patientiam exerce prolixam, qui enim perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.*

Psal. 107, 1.

* Psal. 16, 4

Thomas à Kemp. lib. 3. de Imitat. Christi cap. 56.

Matth. 27.

42.

August.

Tract. 37. in Ioan.

Matth. 24,

13.

Noli extollere te in faciendo opere tuo. Eccl. 10



Mobilis oblectant quid te præconia vulgi?
In solum referas teque CRUCEMQ. Deum.